

Et deinde est impossibile, creaturam fieri equalēm creatori, cūm necessariō sit finita, temporalis, &c. Vnde in disputat. 4. idem Franciscus videntes non posse confistere quod ante dixerat, docet Christum non esse aequalēm Patri dignitate, cūm ipse adoret Patrem, non contrā; sed esse aequalēm, quia habet omnipotentiam communicatam à Deo.

Sed quārō ab illo, quomodo habeat omnipotētiam, an intrinsecē, ita vt ipse homo Christus sit omnipotēs, an extrinsecē per inhabitationem, quia habet in se habitantem Deum omnipotentem? Si primo modo, redit prior difficultas, quia si ille homo habet intrinsecē infinitam potentiam, ergo & infinitam essentiam, ergo est ille unus Deus, qui etiam est Pater. Si secundo modo, nihil Paulus diceret: nam hoc modo omnes iusti essent aequales Deo, quia habent in se Deum habitantem.

Quia igitur ista expositiō non quadrat, Transylvani Ministrī lib. 2. ca. 6. dicunt, Paulum non dicere, Christum esse aequalēm Deo Patri, sed contrarium potius, hunc enim esse volunt sensum; non rapinam arbitratus est, nimur faciendam, vt esset aequalis Deo, quomodo expōnit Erasmus hoc loco, & ante eum Maximinus Arianus apud Augustinum lib. 2. cap. 5. Et probant PRIMO, quia particula aduersatiua (sed) id videtur ostendere. Si enim sic legamus, Christus meritò se censuit Patri aequalēm, sed semet ipsum exinanivit, quis erit sensus? At si dicas, Christus non putauit rapiendam aequalitatem, sed e contrario semet ipsum exinanivit, optimus erit sensus.

SECUNDО probant ex Tertulliano, qui libro de Trinitate sic ait: *Quamvis fe ex Deo Paire Deum esse memini set, nunquam se Deo Patri aut comparant, aut contulit, &c.* A contrario. Nam primo Patres omnes ante citati dicunt, Christum fuisse aequalēm Patri, non ex rapina, quia ex natura. Secundū locus ipse ita sonat, nisi violenter trahatur alio. Tertiō, quia si in forma Dei esse, est esse in essentiā Dei, vt suprā diximus, non poterat Paulus dicere Filium non esse aequalēm, quē iam dixerat esse in forma Dei.

Ad illud de aduersatiua, respondeo vocem, sed, & Grācē & Mā, habere multiplicem vim. aliquando enim habet vim correctionis, & hoc modo accepit Chrysostomus cum Theodoro, Theophylacte, & Oecumenio. hi enim qui recte intelligebant Grācam linguam, volunt & Mā, esse notam correctionis, & hunc esse sensum, cūm Christus esset in forma Dei, adeo non putauit rapinam aquare se Deo, vt potius non dubitauerit dissimulasse suam diuinitatem, & deponere quodammodo insignia huius aequalitatis, quia certus erat non posse se eam amittere, cūm naturalis sibi esset. Ponunt exemplum de Rege & tyranno. Qui enim fecit, se verum & legitimū Regem, nec vlo modo timet sibi, il-

A le facile deponit purpuram, & accipit vestem plebeiam, sive vt oblectet se, sive vt tutior sit in prælio, sive alia de causa, non enim timet, ne propter mutationem habitus pereat sibi regnum: At tyrannus qui rapuit regiam potestatem, non audet vel ad modicum tempus comparere sine purpura, & sceptro, ne si conspiciantur in ueste plebeia, non agnoscatur pro Rege, & paulatim amittat regnum, &c.

Latinū accipiunt vt sit aduersatiua, & aequivalent particula, tamen, sive, sed tamen. Ita Avgvstini vs lib. 2. contra Maximinū, ca. 5. vbi hunc vult esse sensum; cūm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalēm Deo, sed tamen exinanivit se, &c. id est, licet esset aequalis Deo, non tamen horruit formam serui. Ita etiā A M B R O S I I commentarius; etiam si erat aequalis Deo, non tamen sibi defendit aequalitatem, sed exinanivit se, id est, non voluit prætextu aequalitatis cum Deo, quam naturaliter habebat, recusare humilitatem paſſionis & mortis.

Ad locum TERTULLIANI dico duo. PRIMO, librum de Trinitate, qui Tertulliano tribuitur, non esse ipsius, sed potius Nouatiani, vt Hieronymus afferit libro secundo in Rusin. & de scriptoribus Ecclesiasticis, in Nouatiano. SECUNDО dico, sententiam huius auctoris non esse contra nos. Ille enim dicit, Filium non se comparasse Patri, solum propter originis auctoritatem, non propter aliquam differentiam natura. Nam ibidem clare afferit, Filium fuisse in forma Dei, quia in natura Dei, & super omnia, sicut est Pater: & tamen, quia ipse est à Pater, non è contrario, derulisse eum semper aliquid Patri. Neque est hoc solius Tertulliani, sed Hilarij lib. 9. de Trinitate, Basilij lib. 1. in Eunomium, Nazianzeni lib. 4. Theologiae, & Cyrillico libro 2. thefauri, cap. 3. qui exponunt de Filio Dei, non solum vt est Filius hominis, sed etiam vt est Filius Dei: *Pater maior me est.* dicunt enim Patrem esse maiorem ratione principij, & tamen Filium non esse minorem propter naturae identitatem.

V N D E C I M V locus est 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hic tria unum sunt: & tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis.* Quo loco S. Ioannes vult ostendere, Christum esse verum Deum, & verum hominem; & propterea afferit testimonia diuina & humana, nec enim cūm ait: *Tres sunt, qui testimonium dant in celo,* per illam vocem (*in celo*) intelligit locum coelestem, sed testimonij qualitatem, alioquin etiam Angelis sunt in celo, & testimonium Christo non semel dederunt, & tamen tres tantum testes in celo Ioannes ponit, Patrem, Verbum, & Spiritum sanctum. Itaque per testes, qui sunt in celo, intelliguntur testes diuini, vt distinguantur à testibus humanis & creatis: & propterea etiam paulo post ait: *Si testimonium hominum acci-*